



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos
Distributa

Illsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCCXIX. Christus iterum Apostolis Paßionem suam prænunciat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

PUNCT. III. *Hoc autem genus non eiicitur, nisi per Orationem & Jejunium.* Matth. 17. v. 20. Scilicet hominis peccatoris Conversio, vel nostrî ipsorum emendatio non efficaciter procuratur sine his duobus (ad quæ assumenda non nisi firma Fiducia inducit) nempe sine Oratione impetrante specialia Auxilia, & intellectum nostrum illustrante, ut videat, aliisque proponat proportionata media, ac motiva; & sine Mortificatione, quæ est Jejunium & Abstinencia ab omni affectu intemperante & immoderato ad creaturas, vel etiam corporis qualiscunque afflictatio. Unde pro Conversione Animarum privatæ instructioni, & admonitioni adjungenda est Oratio, & pænaliū Operum usurpatio.

MEDITATIO CCCXIX.

Christus iterum Apostolis Passionem suam prænunciat.

Matth. 17. v. 21. Marc. 9. v. 29. Luc. 9. v. 44.

PUNCTUM I. *Et inde profecti prætergrediebantur Galilæam* (id est, festinantes transibant Galilæam, in qua teste Matthæo versabantur) *Docebat autem Discipulos suos, & dicebat illis: quoniam Filius hominis tradetur in manus hominum, & occidetur eum, & occisus tertia die resurget.* Marc. 9. v. 29. Hoc Vaticinium eorum, quæ passurus erat, Christus Discipulis suis sæpius repetiit, ut eorum eventu eò minùs scandalizarentur, sed potiùs ad Imitationem incitarentur tum ipsi Apostoli, tum nos, qui illud eramus lecturi, vel meditaturi. Nam etiam nos in manus hominum tradimur, cùm

DEVS

DEVS adversantes, malè de nobis sentientes, finitè loquentes, contradicentes, apertè vel occultè persequentes nobis immittit. Ab ipsis verò occidimur, cum mortificamur, & nobis ipsis moriendi occasio præbetur. Post hæc tamen tertia die, id est, brevi resurgemus ad Æternam & Beatam Vitam, cuius Spe & memoriâ leviter omnia feruntur. Hoc Variatio itaque & Christi Exemplo ad ejus Imitationem accendamus.

PUNCT. II. *At illi ignorabant verbum istud, & erat velatum ante eos, ut non sentirent illud: & timebant eum interrogare de hoc verbo.* Joan. 9. v. 45. Quamvis enim haud multò antè idem prædixerit illis Christus, illi tamen propter sublimitatem, arduitatem, & animi excæcationem, quòdque hæc omnia pugnerent cum principijs Mundi & Carnis, non intellexerunt. Idem & ob eandem causam contingit nobis, ut non intelligamus, quàm utile, necessarium, ac meritorium sit, tradi in manus hominum, occidi &c. Itaque sequamur illud monitum S. Pauli Philipp. 2. v. 5. *Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo IESU: nec timeamus, Christum interrogare, & petere, ut nobis det sensum eundem, ut sapiamus ea, quæ DEI sunt, & non, quæ sunt hominum.*

PUNCT. III. *Et contristati sunt vehementer.* Matth. 17. v. 23. Hæc tristitia ex ignorantia prædicta originem traxit. Inde etiam omnis nostra tristitia profuit. Itaque potiùs sentiamus cum S. Jacobo in Epist. Canon. c. 1. v. 2. *Omne gaudium existimate Fratres mei, cum in tentationes varias incideritis: scientes, quod probatio Fidei vestra Patientiam operatur: Patientia autem Opus perfectum habet.*